

Nicolaus Schütze Heinrich Rahn

Disputatio Inauguralis De Usuris

Rostochii: Pedanus, 1633

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731837649>

Druck Freier  Zugang



Nützlich = Gemüß

N. Schüll (H. Rahne)

Vert.

f

R. U. im 1633.

28

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
USURIS.

Quam

DEO OPT. MAX. FORTUNANTE

ex decreto & autoritate

Amplissimi JCTORUM ordinis in illu-
stri Academia Rostochiensis

SUB PRÆSIDIO

Viri Spectabilis, Clarissimi, & Consultissimi

DN. NICOLAI SCHUTTEN,

J. U. D. & Professoris Codicis ordinarij, ac
p. t. Facultatis Juridicæ DECANI

Pro summo in utroq; Jure gradu consequendo

ad diem 5. Septemb. horis ante & pomeri-
dianis.

publicè ventilandam proponit

HENRICUS RAHNEN Brunsvicensis.

ROSTOCHII,

Typis exscribat JOACHIM. PEDANUS Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXIII.





T H E S I S I.



Sura ab usu, seu utendo nomen accepit, *Duaren. hęc. Cap. 1. & Borch. h. cap. 1. n. 21.*

Etymologia usurae

II.

Non una autem ejus vocabuli reperitur significatio: Nam & pro ipso rerum usu accipitur: veluti quando vitæ, lucis, temporis atque corporis vitia concessa dicitur ei, cui usus vitæ, corporis, lucis, atque temporis concessus est. Qua acceptione procul dubio utitur *Cicero*, quando *1. Tuscul. Question.* inquit, Natura dedit usuram vitæ, tanquam pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, cum vult? Et *Plaut in Amphit. Uxorem cepit usurariam*, h. e. quæ corporis usum præbuit.

significationes variae

III.

Nonnunquam non tam ipsum usum, quam ejus precium & mercedem quasi designat.

significatio usurae quæ Jctis familiarie

IV.

Atque hæc acceptio cum probatis autoribus, tum Jctis nostris admodum familiaris est: sed significatu duplici, Latiori & Strictiori.

V.

Illo omne id usuram dicunt, quod supra sortem creditori accedit. Velut interesse, per *l. Socium 60. pr. ff. pro Soc. l. 17. §. 3. de Usuris. reditus, fructus &c. Molin. de usur. n. 4. VVesemb. h. n. 1.*

Latior

VI.

Hoc verò quantitatem denotat, quam supra sortem debitor creditori præstat.

Strictior.

VII.

Sed prior illa acceptio propria ejus esse nequit, cum passim

in iure usuræ ei, quod interest, opponantur, & fructus ab operis servorum, usuris, mercedibus, vecturis jumentorum, & navium separentur, unde *tit. ff. de usuris & fructibus* inscriptus, *Addel. 121. d. v. s. l. 39. §. fructus. i. de leg. i. l. 29. de pet. hered. l. 11. ff. de donat. l. 34. de Usur. l. 58. §. 5. Ad. Sect. Trebell.*

VIII.

Non ignoramus quidem, fructus nomen quandoque ad usuras, mercedes, operas servorum, & obventiones referri *l. 27. §. 1. in fin. de R. v. l. penult. de usur.* Unde procul dubio nata est illa *Dd. Divisio*, ut fructuum alij naturales, alij civiles dicerentur, *Coras. 5. misc. 9. Myns. VVesenb. Schneid. ad §. si quis non domino. 35. Instit. de rer. divis.*

IX.

At latissima illa istius vocabuli est usurpatio. Certè ipse *Ulpian. in l. 34. de usuris* multò accuratius locutus: usuras, dicens, non tam fructus, quàm vicem fructuum obtinere.

X.

De usuris itaq; in strictiori significatione in præsentì pauca agemus: Quæ nobis sunt accessio ad sortem in quantitate consistentem.

XI.

Accessionis verbo ipse *Imp. Alexander in l. frumenti 12. C. h. t.* usus: sed generis pro speciei vocabulo sumpto. Tam generalis enim ejus natura est, ut de fructibus, de partu, de alluvione, usuris &c. in *quid est* prædicetur.

XII.

Quibus rebus usura accedit Per sortem intelligimus rem principaliter debitam, quæ in quantitate consistit, & non solum res Fungibiles, quæ in genere suo functionem recipere dicuntur, ut pecuniam, frumentum, oleum *l. 2. 3. 12. & 23. C. h. t.* Sed & alias Non-fungibiles, velut statuas, imagines *l. 17. §. ult. ff. h. aurum, argentum, vestem l. 25. C. eod.* comprehendit.

XIII.

Dummodo tamen meminerimus, harum Non-fungibilium usuras non aliter præstari, quam si istæ, non ut corpus, sed ut quantitas, debeantur, proindeq; usuras non pro ipsis rebus,

bus, ut talibus, sed pro æstimatione ac precio earum in quantitate exigi.

XIV.

Ita namque *Papinianus* in *l. 3. §. ult. h. t.* Si auro & argento facto, per fideicommissum relicto, mora intervenerit, an usurarum æstimatio facienda sit, tractari solet. Planè si vasa, ut corpus, relicta essent, ut ijs uteretur fideicommissarius, non sine rubore desiderari usuras; quod si verò ut quantitas, nempe ut ijs distractis pecuniâ uteretur, aut alimenta præstarentur, non oportere frustrationem impunitam esse, respondit.

XV.

Et in *l. cum qui 18. ff. de his, quæ ut ind. auf.* idem *Jctus* respondit, eum qui tacitum fideicommissum suscepit, si fructus vendidisset, eorum pretij usuras debere: si verò fructus in usu habuisset, non debere.

XVI.

Ex hisce jam faciliè *Pauli* responsum in *l. cum quidam 17. §. ult. ff. hoc tit.* interpretabimur, cujus hæc verba: Si dies non sit ab his, qui statuas vel imagines ponendas legaverunt, præfinitus, à Præside tempus statuendum est, & nisi posuerint heredes usuras reipublicæ usque ad tertiam centesimæ pendent. Si dicamus: Paulum non ipsarum statuarum ac imaginum, quæ quantitates non sunt, usuras exigere, sed æstimationis ac precij earum, quo comparari possunt. Non tam enim ipsæ statuæ, quam pecunia, quâ statuas & imagines emi oportet, legatæ videntur.

XVII.

Unde ex sententia *Ulpiani*, qui statuas vel imagines ex voluntate defuncti intra certum diem ponere debet, ab usuris se liberat, si pecuniam intra diem deponat. Vid. *l. 5. pr. de operib. publ.*

XVIII.

Idem quoque temperamentum adhibendum putamus: *l. pro auro 25. C. h. & similibus*: In quibus constitutum reperitur, ut pro auro, argento, veste, fructibus, vel aliâ re non-fungibili licitæ usuræ solvantur: ut usuræ non ipsarum rerum, velut corporum, sed precij, quo taxatæ sunt, æstimentur.

A 3.

XIX. Qua-

XIX.

Quapropter consentaneum nobis videtur, usuram nulli alij debito, quam in quantitate pecuniaria consistenti, accedere. Ipsa verò usura an in alia re, quam pecuniâ numeratâ consistere queat, juris sanè non videtur expediti. *Donel. in tr. de Usur. c. 7.* Quod forti accedit, ita usuram esse dicit, si in pecunia consistat.

XX.

Ducemus verò in *tit. de usuris c. 1.* alias etiam res fungibiles admittit. Quæ opinio nobis probabilior videtur, tum ob textum *l. 23. C. h. tum ob Nov. 32. c. 1.* juxta quam agricolæ pro unoquoq; frumenti modio singulis annis octavam modij partem, quæ usuras constituit centesimas, solvunt.

XXI.

Deprehendimus quidem ex conventionem quandoque etiam res nonfungibiles, ut fructus *l. 11. §. 1. de pignorib. l. 17. C. h. habitationem l. 4. C. h. r.* pro debito promitti. Sed unicuiq; in promptu est, habitationem, propriè loquendo, usuram non esse, nec unquam etiam ita appellari: & fructus quoq; usuris propriè dictis opponi, ut ante demonstravimus. Unde videmus ipsas *ll.* cautè admodum hîc ambulare, dum neque habitationem neq; fructus usuras esse, sed ea vel in usuras, aut vice usurarum concedi, asserunt.

XXII.

Definitio Ex quibus jam colligitur, usuram propriè dictam nihil aliud esse, quam accessiõnem rei fungibilis ad sortem, seu principale debitum in quantitate existentem.

XXIII.

Usura usurarum. Dicimus usuras esse accessiõnem ad sortem seu debitum principale, ut excludamus usurarum usuras, quæ nno ferè ore à Legumlatoribus damnatæ. Vid. *l. 29. ff. h. l. 28. C. eod. l. 2. §. 5. de adm. rer. l. 26. §. 1. de cond. ind. l. 27. de re jud.* Etiam cum infamiæ nota *l. improbum 20. C. ex quib. caus. infam.*

XXIV.

Verum enim vero saluberrimæ hæ leges à fraudibus improborum sæneratorum immunes esse non potuerunt. Cum enim vel ideò usuras usurarum illicitas putarent, quod accessio-

nis

accessionis accessio, aut unius rei duplex accessio esse non possent: Ecce. Anatocismum seu regenerationem usurarum (quæ in quibusdam casibus ex æquitate tolerabatur vid. l. 7. §. 12. l. 58. §. ult. de adm. tur. & l. 1. Cod. Th. de usur. rei judic.) simpliciter introduxerunt, ex accessione, usuris nimirum, sortem seu principale debitum progengerantes, ut totius summæ usuras lucrarentur. Vid. Hor. disp. de usur. c. 3. Moli. d. l. n. 44.

XXV.

Sed præclare Iustinianus hisce machinationibus obviam ivit, Anatocismum non tantum penitus tollendo, sed insuper etiam constituendo, ut usuræ, licet rei etiam judicatæ essent, semper manerent usuræ, nec ullo modo illis incrementum, sed illæ sorti saltem accederent, in l. usuræ. 28. C. b. t.

XXVI.

Sicut ante eum L. Gabinia de usuris versuram, quæ generatores etiam fraudem supra dictis sanctionib. faciebant, prohibuit, Vid. Hotman. in Indic. L.L. Ro. in L. Gabinia de usuris. Erat autem versura, quando æs alienum ex ære alieno solvebatur: nempe si is, qui usuras debebat, à creditore pecuniam sub usuris accipiebat, ut eam pro usuris debitis statim solveret. Unde Hotmanus in Comm. Verborum Juris, versuram facere, ex eo dictum putat, quòd initio qui mutuabantur ab alijs, non ut domum ferrent, sed ut alijs solverent, veluti creditorem vertent. Tantum de usurarum definitione.

XXVII.

Doctores vulgò duas earum species faciunt, quarum una generis nomen retinet, altera nomen a suo genere distinctum habet, & appellatur *fœnus*.

XXVIII.

Hoc definiunt esse accessionem, quam ex contractu mutui supra sortem quis captat: Illam verò accessionem, quæ ex alia quacunque causa supra sortem præstanda est.

XXIX.

Sed rectius sine dubio sentit Molinaus h. n. 4. asserens, istas duo unum & idem esse, nisi quod usura latius in jure pateat, quam fœnus, quod propriè usuram in mutuo designat. XXX. Et

XXX.

Et ita etiam se res habet, ut fœnus & usuræ specie non differant, sed hæc species infima sit, quæ fœnoris nomen induat, si ex mutuo debeatur: proprium verò retineat, si ex alijs causis competat.

XXXI.

Etenim diversa contractuum natura, ex quibus usuræ debentur, naturam earum variare, aut diversas earum species constituere non magis potest, quàm si aliam quoque speciem usurarum, quæ ex contractu locationis debetur, itidemq; aliam, quæ ex contractu societatis, vel emtionis, aut alio præstanda est, dicere velis.

XXXII.

Quod autem diximus usuram, quæ ex mutuo debetur, fœnus appellari, non ita intelligi volumus, quasi illud usuræ nomen planè respuat; in jure namque accessiones, tam quæ ex causa mutui, quàm quæ ex alijs contractibus debentur, communi usurarum nomine appellantur. Vid. l. eos 26. (quæ de fœnore sine dubio disponit) C. h. r.

XXXIII.

fœnus nauticum Porro ex fœnore quoddam *Nauticum* appellatur, quod nihil aliud est, quam usura pecuniæ *trajectitiæ*, de quo singularis est tit. in lib. XXII. ff. & lib. 4. C.

XXXIV.

Pecunia Trajectitia Est autem *pecunia trajectitia* quæ periculo creditoris trans mare vehitur. Unde si non transvehatur, sed eodem loco consumatur, pro *trajectitia* non habetur. l. i. d. naut. fœn.

XXXV.

Planè si pro pecunia ibi consumpta merces comparatæ periculo creditoris trajiciendæ sint, *Modestino* placuit, merces illas pro pecunia *trajectitia* haberi d. l. i. de naut. fœn.

XXXVI.

Fœnus Naut. Duplex *Jul. Pollux. l. 8. Onomastic.* habitâ ratione periculi, duplex fœnus nauticum constituit, *Heteroploon* & *Amphoteroploon*.

XXXVII.

Heteroploon, cum comæatus tantum: *Amphoteroploon*, cum

cum commeatus & remeatus periculum à feneratoro suscipitur,
& ita contrahitur, ut nec usura, nec fors debeat, nisi navis cum
mercibus sospes in domicilium redierit.

XXXVIII.

Species hujus Amphoteropli extat apud Scævola in l. quod
Romæ 122. §. 1. d. V. O. quâ merces comparatæ Beruto Brentesium
usq; , & rursus quæ Brentesio emendæ Berutum periculo credi-
toris Stichi servi Scij invehuntur. Vid. Hotoman. Disp. de usur.
c. 9. Sed de nautico hoc sænore mox pluribus agemus. Nunc
videndum de quantitate usurarum. In quo ut progrediamur
rectius, summas usuras primò proponemus, unde facilius in
minorum, quippe quæ ad majores referuntur, notitiam perve-
niemus.

De usura-
rum quan-
titate.

XXXIX.

Summa usura appellatur *centesima*, non inde dicta, ut Gl. *Centesima*
Sentit in l. si non sortem 26 §. supra duplum 1. ff. de cond. in debitor. quod
in anno sortem æquet, & centum pro centum singulis annis exi-
gat: Neq; enim tales execrabiles usuras jura unquam permise-
runt; sed quod singulis mensibus unam partem è centum par-
tibus præstans intra centum menses sortem seu debitum prin-
cipale æquet.

XL.

Moris namq; erat antiquitus, ut singulis mensibus usuræ
exigerentur, unde Cic. pro Q. Ros. Comæ: Cùm omnes qui tabu-
las conficiant, menstruas penè rationes in eas transferant.

XLI.

Paulus quoq; in l. lecta 40. ff. de reb. cred. idem confirmat his
verbis: Lucius Titius (inquit) scripsi me accepisse à P. Mævio
quindecim mutua numerata mihi de domo, & hæc quindecim
proba rectè dari Calendis futuris, stipulatus est Mævius Publius,
spondeo ego Lucius Titius, si die supra scripta summa P. Mæv-
vio, eive, ad quem ea res pertinebit, data soluta, satisve eo no-
mine factum non erit, tunc eò amplius, quo post solvam, pænæ
[h. e. usuræ] nomine in dies triginta, inq; denarios centenos,
denarios singulos dari stipulatus est P. Mævius: spondeo ego
L. Titius &c.

B

XLII. Ex

XLII.

Ex quibus colligitur, non singulis tantum mensibus usuras solutas, sed quid, & quantum etiam usurarum nomine præstitū sit, nimirum in centum denarios, singuli denarij, seu centesima fortis pars unoquoq; mense. Quorum cum in anno XII. sint, centesima usura erit, quæ XII. annis singulis pro C. præstat. Ita dicta, vel quod singulis mensibus centesima pars fortis solvatur, ut *Harmoniopo lib. 3. Epitom. tit. 7.* placet, vel quod intra centum menses debitum principale æquet, ut *Bud. de assel. 1. & Mol. hic n. 50. in prin.* opinantur.

XLIII.

Præterea ex adducta l. 40. dies etiam mensis (calendarum scil.) in quam usuras stipulari fuerunt, innotescit. Quæ de causa Horatius Calendas tristes vocat i. *Serm. Satyra 3.* sic scribens:

*Odisti, & fugis, ut Drusonem debitor aris,
Qui, nisi cum tristes misero venere Calende,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.*

XLIV.

Et quod debitores Calendarum diem execrari soliti sint ostendit *Plutarchus in lib. de vitan. ære alieno*, quando ait: Insuper & Calendarum, & Neomeniæ recordaberis, qui dies etsi sacratissimi existant, nefasti tamen, & execrandi ab usurarijs redduntur. Nam pignora ipsis præstita nec Jupiter ipse salvare posset.

XLV.

Quamvis verò in diem Calendarum usuras stipularentur creditores, non tamen à debitoribus dicto statim die solvebatur, sed dilatio plerumq; ad Idus seqq. dabatur, unde in l. *ex plurib. 19. §. ult. de solut.* dicitur, usuras Idibus solvi. Quo etiam illud Horatian. in l. *Epodon. Od. 2.* pertinet.

*Hæc ubi locutus fenerator Alphius,
Jamjam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.*

XLVI. Sed

XLVI.

Sed ut in lineam redeamus, centesimam illam usuram, quoniam summa inter legitimas usuras est, Dd. vulgo assem usurarium nūcuparunt, sicut illis infrequens non est, rem in certas partes divisuris eandem assem appellere, cujus rei exemplum præbet hereditas, quæ assis hereditarij appellatione continetur, & in ejusdem partes dividitur §. *hereditas* §. *Inst. de hered. instit. l. servum* 50. §. *ult. ff. eod.* Item ager, qui aut ex asse, hoc est, in totum, aut pro parte dicitur possideri, in *l. sciendum* 15. §. 1. *ff. qui satisd. cog.*

XLVII.

Cum igitur usurarum centesima, utpote summa, As appellaretur, inde factum est, ut minores usuræ à parte assis, quam in eo constituunt, nominarentur: insuper habitâ sortis, sive debiti principalis ratione.

minores usuræ

XLVIII.

Unde si ex ducentis aureis unus aureus singulis mensibus solvatur, licet hæc pars sortis sit ducentesima, non tamen ea usura nomen sortis ratione sumit, & ducentesima usura dicitur: sed, quia ex singulis centum aureis non integer, sed dimidius saltem aureus, atq; ideò dimidia pars assis usurarum nomine singulis mensibus solvitur, usura illa à media parte assis, semis, qui sex uncias, seu dimidiam partem assis continet, appellatur. Eadem ratio est in cæteris.

XLIX.

Hinc pro XII. assis partibus, quæ notæ sunt, & in §. 6. *Instit. de hered. instit. ac d. l. 50. §. ult. ff. eod.* recensentur. Usuræ quoq; unciales seu unciariæ sunt; item sextantes, quadrantes, trientes, quincunces, semisses, septunces, beses, dodrantes, dextrantes, deunces.

L.

Unciales secundum proportionem usurarum nostrarum, quæ per annos, non menses, ut antiquitus, discurrunt, (De qua distinct. Vid. *Molin. num. 50. & seq.*) dicuntur, quando una uncia seu duodecima pars centesimæ annuatim solvitur pro centum: ut si pro centum dena ijs unus usuræ nomine annuatim solvatur, qui sortem æquant centum annis.

B 2

LI. Sextaa-

L I.

Sextantes sunt, cum sexta pars centesimæ solvitur, h. e. dux uncia singulis annis, quæ pensatio annua quinquaginta annis ad sortem ascendit.

L II.

Quadrantes sunt, cum tres pro centum annuatim solvuntur: æquant sortem intra triginta tres annos, & quatuor menses.

L III.

Trientes quatuor pro centum præstant, & sortem 25 annis æquant. Dicitur hæc usura tercia (nimirum pars) centesimæ. cum quidam 17. §. ult. ff. l. eos 26. C. de usur.

L IV.

Quincunces quintam habent partem centesimæ, & 20 annis sortem æquant. *Semisses* sunt, cum sex pro centum, seu sexta pars centesimæ solvitur, sortem æquant sedecim annis, & 8 mensibus. *Septunces* septem singulis annis producant, & æquant sortem annis quatuordecim & $\frac{2}{7}$. *Bessales* pariunt unoquoque anno 8. in 100. ac duodecim annis, & sex mensibus sorti æquantur. *Dodrantes* novem in singulos annos reddunt, æquantq; sortem undecim annis, uno mense, & tertiâ parte mensis. *Dextantes* decem: sorti que æquantur X. annis. *Deunces* undecim, & sortem exæquant novem annis, uno mense, & undecimâ parte unius mensis. *Centesimæ* XII. uncias singulis annis reddunt, sortem æquant octo annis, & quatuor mensib. Vid. *Molin. d. n. 50. & seqq. VVesemb. hie n. 10. & seqq.*

L V.

Usurarum
modus a-
pud Ro-
manos.
Cæterum modus usurarum sicut apud alias etiam gentes, ita & apud Romanos, nec certus nec constans perpetuo fuit. Primum namque II. XII. Tab. cautum erat, ne quis unciario fœnore, quo millesima ducentesima pars quolibet mense, una verò uncia, seu duodecima pars assis, annuatim solvebatur, quod mille ducentis mensib. seu centesimo anno sortem adæquat, amplius exerceret: mox Tribunitiâ rogatione ad semiunciam redactum (h. e. dimidio minus, quod in ducentis annis sortem æquaret) *Livius. l. 7. decad. 1.*

LVII. De

EVI.

Deinde, teste *Alexand. ab Alex. 1. General. diē. 7.* auctum fæmus, & à semiuncia ad senissimam; mox ad trientem redactum, donec Genurius Tribun. pl. legem tulit ad populum, ne ullo modo fænerare liceret, *Liv. d. l. 7. cir. fm.*

LVII.

Respicit ad hæc procul dubio *Tacitus 6. Annalium* hic verbis: Sanè, inquit, vetus urbi fænebre malum, & seditionum discordiarumq; creberrima causa; eoque cohibebatur antiquis quoq; & minus corruptis moribus. Nam primò XII. tabulis sanctum, ne quis unciario fænore amplius exerceret: quum antea ex libidine locupletum agitaretur, dein rogatione Tribunitiâ ad semiunciam redacta: postremo vetita usura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursus oriebantur. Hæc ille.

LVIII.

Postea sanè quadrantes, trientes, quincunces, semisses, besales & centesimæ permixtæ fuerunt, & ex ijs trientales & quincunces etiam pro levioribus habitæ. Vid. *l. 17. §. 6. & ult. de usur. jung. l. 5. pr. d. oper. pub. l. 15. prin. & l. 16. §. 2. de alim. & cib. leg. l. 21. §. 4. de ann. leg. l. 26. §. 1. qn. dies leg. l. 3. §. ult. ad. l. Falc. l. ult. C. de petit. hered.*

LIX.

Centesimæ quamvis gravissimæ, & maximæ fuerint *l. 38. de neg. gest. l. 7. §. 8. de admin. tut.* communiter tamen eas permixtas fuisse ex *M. T. Cic. 5. ad Att. Ep. ult.* clarè patescit. Refert enim: cum in Sicilia prætor esset, se in edicto tralatitio habuisse, ut centesimæ cum Anatoçismo anniversario observarentur. Quod si igitur in edicto tralatitio hoc habuit, non primus sanè centesimas introduxit, sed antecessorum vestigijs insistens eas permisit: *Add. l. 40. ff. de reb. cred.*

LX.

Præterea quoque in iudicis arbitrium antiquitus collatum fuisse, ut is ex more cujusque regionis usurarum quantitatem constitueret ex *l. 39. §. 1. de lega. 1. l. 1. & 11. ff. h. t.* constat.

B. 3,

LXI. Sed

LXI.

Sed cum superiores taxandi modi & graviores, & licentio-
siores essent, Imp. *Justinianus* generali sanctione veterem illam
duram & gravissimam usurarum molem ad mediocritatem de-
duxit. Etenim, cum intelligeret aliorum pluris, minoris ve-
ro aliorum interesse, pecuniâ suâ caruisse, pro qualitate atque
ordine personæ quantitatem usurarum prudentissimè mode-
ratus est.

LXII.

Sancivit itaq; *l. 26 §. i. C. h. t.* ut illustribus personis, e-
asque præcedentibus, utpote quarum minus interesse videre-
tur, quàm cæterarum seqq. pecuniâ suâ caruisse, non liceret ul-
tra tertiam centesimæ partem usurarum nómine in quocunque
contractu vili, vel maximo stipulari.

LXIII.

Illi verò, qui Ergasterijs præessent (h. e. 'magistri officinæ,
non nudi mercatorum ministri *Molin. hic n. 62.* vel alias licitas
negociationes gererent, usq; ad hessam centesimæ usuras ca-
perent. Cæteris, qui neq; negociationes exercerent, neque il-
lustriam dignitatem adepti, semisses essent permixtæ. Licet e-
nim hæ personæ ex pecuniæ suæ fructu tantum commodi sibi
comparare non solerent, quantum negociatores assidui: cum
tamen majore cum detrimento, quàm illustres, qui nullo modo
exercent negociationem, pecuniâ suâ carerent, majores certè
illustribus, minores verò negociatoribus usuræ illis permitten-
dæ fuerunt.

LXIV.

Atque hujus quidem causæ momentum, nimirum ut pro-
ratione alicujus interesse usuræ vel augeantur, vel diminuun-
tur, adeò spectandum esse, inquit *Hotm. in disp. de usur. c. 8.* ut
simul atq; cessare cæperit, hoc quoq; privilegium, quippe quod
personale sit, cessare oporteat.

LXV.

Itaq; & creditori, cui hesses penduntur ob negociationis
causam, si negociator esse desierit, usuras statim esse dimi-
nuendas.

LXVI. Neq;

LXVI.

Neq; tamen conversâ rotâ ei, qui negociator, post promissas usuras semisses, factus, illicò besles præstandas: quippe injuria fieret debitori, qui majores non promissit, & licitum esset creditori, postquam mercator factus, vel majores stipulari, vel sortem exigere.

LXVII.

Præter jam dictas usurarum quantitates Imperator quoq; graviores, & quidem centesimas in quibusdam casibus permittit. In trajectitijs, inquit, contractibus, vel specierum fœnori datj onibus usq; ad centesimam licet stipulari, in *d. l. 26. §. 1. C. h. t.*

Sunt casus in quibus centesima permittuntur.

LXVIII.

Trajectitia autem pecunia quænam sit, in superioribus diximus. Illud hic saltem adnotandum: majorem hanc usuram nautici fœnoris tamdiu permissam esse, quamdiu periculum naufragij ad Creditorem spectat: quod incipit, quando navis navigat, & post diem constitutum, impletamq; conditionem Creditoris esse desinit.

LXIX.

Etenim conditio quasi est in trajectitia pecuniâ, ut Creditor recipiat se effecturum, quò navis incolumis intra certum tempus (quod ab eò constituitur) ad locum destinatum perveniat. Unde etiam petitio Usurarum ante Creditori non competit: quia deficit crediti Obligatio conditione nondum existente: vid. *l. 6. ff. de naut. fœn.*

LXX.

Secundò centesimæ à Justiniano permissæ in speciebus fœnori datis. Per species intelliguntur, præter pecuniam numeratam, aliæ res fungibiles, veluti oleum, frumentum, vinum &c. *l. oleo 23. d. l. eos 26. §. 1. C. h. t.*

LXXI.

Ita etiam in *Nov. 32. cap. 1. Imp.* specialiter permittit exigi ab agricolis pro aridis fructibus mutuo datis octavam modij partem annuatim in singulos modios & pro pecunia credita in singulos solidos annuas siliquas.

LXXII.

Ceration autem græcè, siliqua latinè vigesima quarta solidi pars.

pars est. *Hotom. de re numar. pop. Rom. part. ult. cap. 32. de militariſto Ceratio, & ſiliquæ. Add. Cujac. 3. obſ. 35. & add. Novell. 32. ſolidum accipiendū pro uno toto & integro inſtar aſſis coſnummato, ſecundum Budæum in lib. 5. de Aſſe.*

LXXIII.

Ut ita annuæ illæ Siliquæ in ſingulos ſolidos trientes uſuras; vid. *Novell. Leonis 83. in fin. octava verò pars frugum pro ſingulis modijs annuatim præſtanda centeſimam paululum excedant. Quæ cauſa eſt, ut Molin. hęc n. 63. & ſeqq. vulgatæ lectioni manum adhibeat, & pro octava parte vigefimam quartam ſubſtituendam, quò nulla ſit uſurarum differentia, tam in pecunia numerata, quam rebus alijs fungibilibus agricolis creditis, acriter contendat.*

LXXIV.

Inſuper uſuræ centeſimæ in ea pecunia, quam condemnatus intra ſtatutum tempus non ſolvit, admittuntur, *l. ult. C. de uſur. rei jud.*

LXXV.

Sicut & tutor, qui clam & ſub adminiſtratione tutelæ, pupilli; utilitate latenter ſua commoda pecuniâ pupilli juvat, maximas h. e. centeſimas uſuras debet. Itemq; Magiſtratus, ſi municipij, & pecuniam publicam in uſus ſuos converterit *l. 38. de neg. geſt. l. 54. de adm. tut.*

LXXVI.

Antichreſis an ſervet modum uſurarum

An verò in Antichreſi expreſſâ ſimpliciter centeſimas liceat ſtipulari, quæſtionis eſt ſanè non expediræ. *Cujac. 8. Obſ. 17.* Antichreſin expreſſam, ait, uſurarum modum non ſervare; tacitam verò ſervare, cum quo conſentit *Borcholt. in l. de Uſur. c. 6. n. 5. & 6.*

LXXVII.

Nos ita ſtatuímus, ſi fructus annui regulariter legitimas uſuras non excedant, & fortè contingat, ut ubertate anni plures fructus quandoq; naſcantur, fructus hujus anni, licet majores legitimis ſint, uſurarum nomine licitè accipi; neq; ob exceſſum talem unig anni inutilem antechreſin fieri, cum minoribus utiq; quæ alijs annis provenjunt, contentus eſſe debeat. Quod ſi verò

rd

rd ex qualitate fundi certum sit fructus ejusdem regulariter legitimum usurarum modum superare, in proclivi esse arbitramur, antichresin illicitam esse *Don. h. c. 4. & tr. de pignor. c. 13.*

LXXXVIII.

Atq; hæc est quantitas usurarum legitima, quâ satis Reip non aliter se consuluisse putarunt, nisi ipsis etiam quantitatibus insuper adhuc modum præscriberent, quem excedere non liceret. Nam cum Usura (verbis utor *Hotomanni Disp. d. Usur. cap. X.*) verè sit, ut Hebræi acutissimè appellarunt, morsus & pastus quiq; sensim & per particulas patrimonium hominis exedit, sic per necessarium esse visum est, modum particulis præscribere, ne simul uno haustu omnes hominis facultates depascerentur. Modum etiam morsuum numero imponi oportuit; utpote qui, quamvis minuti, si perpetuò procederent, ad extremum totum hominis patrimonium absumerent. Quemadmodum sibi contigisse conqueritur, apud *Livium*, Centurio quidam, qui, quum judicatus pecuniæ nexum duceretur, vociferatur, se multiplicem jam sortem exsolvisse, & mergentibus semper sortem usuris obrutum sænore esse. Hæc ille.

LXXXIX.

Constitutum itaq; nè usuræ duplum excederent, sed simul æ sortem æquarent, consisterent, etiam in trajectitia pecunia *l. 4. §. 1. de naut. fœn. add. l. 26. §. 1. de cond. indeb. l. 9. pr. ff. h. t. l. de usuris 27. C. eod.*

LXXX.

In duplo autem isto simplum continetur, *l. 10. C. h. Vid. Mo- tin. d. l. n. 47. Borch. h. c. ult. n. 19.* Absurdum namq; legumlatores esse judicarunt, accessionem in usuris majorem esse principali, & lucrum majus esse ipsâ sorte, quoniam & fors & lucrum semper certa essent. *Hor. d. l.*

LXXXI.

Hi itaq; sunt termini, quibus Usurarum quantitas, & modus est circumscriptus, quos sanè nullis machinationibus, *vid. l. 26. §. 2. an. fin. C. h. t. vel pœna l. 9. l. 44. ff. h. l. 15. & 16. C. eod. aut fructuum adjectione augere fas est, l. 1. §. 3. de pign. sicut nec judici integrâ ratione consuetudinis in regione obrinentis*

C

numera-

nemoratam taxationem excedere, *l. 1. ff. h. r. l. 39. §. 1. de Legat. 1. Hor. h. c. n. 5. in fin.*

LXXXII.

de poena
usurario.
LXXXII.

Quòd si verò quidam nimia avaritiâ ducti saluberrimas hasce Constitutiones transgressi fuerint, non quidem, ut olim, quadrupli poenâ *l. 2. de Usuris C. Theodos;* aut ex *l. Gabinia* sortis amissione multabuntur, *Briffon 3. Antig. 1.* (nisi ab agricolis supra trientes exegerint *Novell. 32.*) sed quod supra modum stipulari sunt, detrahetur, *l. 20. l. 29. ff. h. &* quod solum fuerit, debitoribus aut restituetur, *l. 26. princ. ff. de Cond. Indeb. l. 18. C. h. c.* aut sorti imputabitur, *l. 102. §. fin. ff. de solut. l. 26. §. 1. vers. si quis autem C. h. t.*

LXXXIII.

Pro qua tamen restitutione bona Creditorum tacitè hypothecata esse non arbitramur: licet *Gl. id existimet ad C. quanquam 2. ad verb. facultates de Usur. in 6. referente Covarruvia 2. var. res. 3. num. 6.*

LXXXIV.

Ex Constitutionibus verò Imperij *de Annis 1548. & 1577. sub tit. von Bucherlischen Contracten/ Usurarij* quarta parte sortis privabuntur.

LXXXV.

Improbum præterea (non jure Civili permissum, uti *Clar. 5. Sententiar. §. usura n. 16. &* alij putant, vid. *Covarr. d. l. n. 2.*) fortius exercentibus infamiae maculam irrogandam, *Imp. in l. 20. C. ex quib. caus. infam. irr.* aut extra ordinem etiam criminaliter arbitrio judicis eos puniendos esse, *Clar. d. l. n. 10. Molin. de Usur. n. 156. volunt.*

LXXXVI.

Quòd tamen non aliter admittimus, quam si usurarij perpetuò, & veluti artem, illicitum fœnus exeruerint. Cum enim illi, qui alias legitimum usurarum modum excedunt, quartâ fortis parte mulctentur, gravioribus poenis locus esse non videtur, vide *Molin. d. l.*

LXXXVII.

Expositâ jam pro instituti nostri ratione Usurarum naturâ & quan-

& quantitate; proximum nunc esse arbitramur, ipsas causas, ex quibus illæ, velut nascuntur & debentur, subjungere.

LXXXVIII.

Earum tres principales invenimus: Nudum Pactum, stipulationem, & Moram.

LXXXIX.

Nudum pactum usuras producit in bonæ fidei judicijs, si in continenti, h. e. in initio & ingressu contractus de earum præstatione convenerit, l. 24. l. 26. depositi. l. 5. C. de pactis. Talia namque pacta inesse dicuntur bonæ fidei judicijs, l. 7. §. 5. de pact. contractum l. cum dotem 10. C. de jur. dor. & ipsam contractus actionem formare, d. l. 7. §. 5. de pact. h. e. facere, ut actio, quæ ex contractu bonæ fidei descendit, ad ea quoq; quæ nudo pacto contractui adjecto promissa sunt, porrigatur.

XC.

Quod verò ex intervallo h. e. contractu b. f. jam absoluto, & perfecto adhibitum, sicut ijs nec inest, ita nec actionem eorundem formare potest, ne ex pacto nudo actio nascatur, d. l. 7. §. 5. de pact.

XCI.

Unde apparet verba in continenti longè alio sensu heic sumi, quam in l. 23. §. ult. ff. ad L. Jul. de Adult. & l. ult. C. de Error. adv. in quibus ea quoq; in continenti fieri dicuntur, quæ rem commissam intra aliquot horas, & triduum etiam, consequuntur.

XCII.

Neque tamen in bonæ solùm fidei, ut jam diximus, sed etiam in stricti juris judicijs usuræ ex nudo pacto debentur. Et quidem, ut jure actionis peti possint, his casibus: si (1.) frumentum, aut hordeum, l. 12 C. h. t. & ibid. Bald. aut (2.) pecunia trajectitia, l. 5. §. 1. & l. 7. ff. de naut. fen. mutuo accepta sint Donell. h. cap. 3. aut si (3.) Civitates l. 30. ff. de Usur. aut (4.) Argentarij pecuniam crediderint, Nov. 136. c. 4.

XCIII.

Ope verò exceptionis etiam alijs casibus. Per retentionem, inquit Imp. Severus & Antoninus in l. 4. C. h. pignoris usuras servari posse, de quibus præstandis convenit, licet stipulatio interpo-

22 terposita non fit, merito constitutum est, &c. *add. l. pignori-
bus* 22. *C. cod.* Nimirum si pignus pro usuris obstric-
tum fit, quod fit non tantum, cum nominatim convention-
te obstricuntur, *d. l. per retentionem* 4. *C. h.* sed etiam cum post
promissas, & debitas usuras pignus simpliciter constituitur.
Quo casu pignus in usuras tacite quoque obligatum esse puta-
mus, *arg. l. 8. §. ult. de pign. act.* vide *Harmenop. lib. 3. tit. 5. §. 5.*

XCIV.

Similiter & solutione usurae nudo pacto in stricti juris ju-
dicijs promissae acquiruntur, *l. 3. C. h.*

XCIV.

Ratio ejus in promptu: Ex pacto enim promissae cum natu-
raliter debentur, *l. 5 §. 2. de solut.* Solurae sane ut indebitae condi-
ci non poterunt, cum naturalis obligatio impediatur indebiti
conditionem, *l. 13. 15. 26. §. 12. l. 60. ff. de cond. indeb.* Tantum
de prima causa, ex qua usurae debentur, nudo videlicet pacto.
Altera, nimirum stipulatio, nunc sequitur.

XCVI.

2. Stipula-
tio

Et cum usurae in contractibus bonae fidei ex nudo pacto
praestandae, multo certe magis in ijs, si stipulatione interveniente
promissae fuerint, debebuntur.

XCVII.

In stricti vero Juris Judicijs stipulatione omnino opus est,
Paulus 2. Sent. 14. §. 1. l. 24. ff. de praes. verb. l. 3. C. h. t. cum neque
ex nudo pacto, nisi paucis illis casibus, de quibus supra *th. 93.*
egimus, neque ex mora *l. 32. §. 2. h. t.* nec ex litis contestatione usu-
rae in illis judicijs producantur. *arg. l. 24. ff. de praescript. verb. l.*
3. C. h. t. Paulus d. l. Gl. Bart. Bal. Cyn. & Salicet. ad l. 1. C. de. condicta
indeb. Donel. h. c. 3. Borcholt. h. Cap. 3. n. 51.

XCVIII.

Ex quibus consequitur, usuras in omnibus judicijs, si-
ve bonae fidei, si-ve stricti juris, si in stipulationem deductae fuerint,
optimo jure deberi, & ex die stipulationis interpositae, nullam
etiam moram debitoris interveniente, peti posse *l. 40. de reb. cred.*

XCIX.

3. Mora

Tertiam causam usurarum diximus esse. *Moram*, quae in ge-
nere

nere nihil aliud est, quam injusta, seu frustranea dilatio ejus, quod quis præstare alteri debet.

C.

Committitur illa tam à creditore, quam debitore: Ab hoc, si justo modo ac tempore rem, quam solvere debet, creditori non solvar; Ab illo, si à debitore oblatam rem accipere recuset.

CI.

Utroque casu jura eam impunitam esse nolunt. Nam cum Creditoris non possit non interesse, rem debitam suo tempore & loco accipere, quo illâ vel in proprium commodum ipse utatur, vel ex negotiatione ejusdem fructus uberrimos percipiat; aut etiam penes se potius quam alium eandem habeat: è re quoque debitoris omninò sit, rem oblatam à creditore accipi, quò ille vel ab usuris, aut periculo & custodiâ ejusdem liberetur, dispiciendum omninò fuit, ne ulli ea res fraudi esset.

CII.

Cæterùm æstimatur illa ex duplici causa, Ex re, vel ex per- *Mora du-*
sona. Unde ex re, & ex persona mora fieri dicitur *in l. 23. 32. ff. plex*
de usur. l. 3. C. in quib. caus. in integr. rest. neces. non est.

CIII.

Ex persona dignoscitur, si debitor vel ipse, vel alius ejusdem nomine à creditore interpellatus solutionem prætermiserit, *l. 32. de usur.*

CIV.

Mora ex re fieri dicitur, quam solus decursus temporis ad solvendum destinati citra interpellationem creditoris inducit, *d. l. 3. C. In quib. caus. in integr. restit.*

CV.

Casus hujus moræ deprehenduntur in creditis minorum, in quibus ex re ipsa, h. e. solo tempore, tardæ precij solutionis mora committitur, *l. 26. §. 1. ff. de fideicom. libert. d. l. in minorum 3. C. in quib. causis in integr. rest.* In invasione & fruitione rerum communium, aut rerum venditarum, precio nondum exsoluto, *de quib. in l. 1. §. 1. de Usur. l. 13. §. 20. ff. de act. empt. l. 5. C. eod. Adde l. 2. C. h. t. l. pen. de vi & vi arm. l. ult. C. de cond. ob turp. causam. &c.*

C 3

CVLIn

CVI.

In bonæ fidei iudicijs Usuræ regulariter ex morâ in personam debentur, siue Obligationes puræ, siue in diem, siue conditionales sint, *Ferret. tr. de Morâ n. 21. Don. de Mora. c. 3.*

CVII.

Nisi socius rem communem invaserit, eamq; in suos usus converterit *l. 1. §. 1. de Usur.* Itemq; Emptor re venditâ & traditâ, nec tamen precio soluto, usus fuerit *l. 13. §. 20. de act. emt. l. 5. C. eod.* In hisce enim, & similibus casibus, sine Interpellatione, ex mora in re usuræ debentur, ut supra diximus, vid. *Hotom. in lib. de usur. n. 17.*

CVIII.

In stricti juris iudicijs ex mora usuræ non debentur, nisi in actione ex testamento pro legatis & fideicommissis consequendis. Illa enim, licet stricti juris sit *arg. §. actionum Inst. de act. actionum* tamen bonæ fidei naturam in eo imitatur; ut, quemadmodum in illis, ita etiam in hac usuræ ex mora debeantur, *l. 34. ff. de Usur. l. 87. §. 1. de leg. 2. add. l. 3. C. in quib. caus. in integr. rest. non est neces.*

CIX.

Requitur tamen, ut creditores majorenes sint. In minoribus enim generaliter constitutum est, ut ijs tam in bonæ fidei, quam stricti juris iudicijs, tam ex puris, quam in diem & conditionalibus obligationibus, citra ullum factum creditoris ex ipsa re h. e. ipso tempore tardæ solutionis usuræ debeantur, *l. 87. §. 1. de leg. 2. l. 26. §. 1. de fideicom. hered. d. l. 3. C. in quib. caus. in integr. rest. non nec. l. 5. C. de act. emt.*

C X.

In delictis etiam ex Mora & quidem in re citra ullam creditoris interpellationem usuræ currunt. Delinquentes enim, e. g. fures, aut raptores, cum ex lege ad restituendum obligentur, ex ipso tempore commissi delicti in mora esse intelliguntur: unde fur semper moram facere in *l. 8. §. 1. l. ult. ff. de cond. furt.* & violentus invasor ex ipso delicti tempore plus, quam frustrator, debitor esse dicitur, *l. p en. ff. de vi & vi arm.* Hæc de mora, tertia usurarum causa, quibus plura exempla uniuscujusq; speciei addi possunt.

Illud

CXI.

Illud in hoc membro adhuc pertractandum restat, an præter dictas tres causas alia constituenda? Pro affirmativa facit *l. 13. §. 20. ff. de act. emt.* in qua Emptor post venditionem rei venditæ precij usuras præstare debet, non eam quidem ob causam, ut videtur, quod tardius illud solverit, sed quod re traditâ usus fuerit. Cum enim re emptor fruatur, inquit ibidem Ulpianus, æquissimum est, eum usuras precij pendere.

CXII.

Quin imo *Papinianus in l. 1. §. 1. ff. h. t.* expressè dicit, si socius ideo condemnandus sit, quod pecuniam communem invasit, vel in suos usus converterit, omnimodò etiam morâ non interveniente usuras præstandas esse. Ex quibus sanè liquet, aliam, quam moram, harum usurarum causam esse.

CXIII.

Ast enim, utroq; in casu moram intervenisse, eò quod illegitimè tam emptor precij, quam socius rei communis solutionem distulerit, nemini sanè obscurum esse potest. Nam cum Emptor offerre precium ante debeat, quam actione ex empto ad rei venditæ traditionem agat, atq; ita à parte sua contractum prius adimplere *l. 13. §. offerre. §. de act. emt.* Illud autem si non faciat, sed precij solutionem in tantum etiam differat, ut judicialiter propterea conveniendus sit, quis ausus fuerit negare, eum moram in solvendo fecisse? eoq; magis, si pretio necdum exsoluto, venditâ & traditâ re insuper etiam fruatur.

CXIV.

Socius quoq; communem rem non ipse invadere, aut in suos solum usus convertere, sed inter socios dividere debebat, ut proinde solutionem differens omninò moram committat; tanto certè magis, quod in casu *d. l. 1. §. 1.* socius invasione, atque usu rei communis deprædationem, & ita ipsâ re, ut in delictis, moram commiserit.

CXV.

Ut proinde *Papinianus*, quando in *d. l. 1. §. 1. b. t.* dicit, socium usuras rei omnimodò debere præstare, etiam morâ non interveniente, non omnem moram, sed speciem ejus saltem, & eam qui-

quidem, quæ in personam dicitur, atq; interpellationem, & factum creditoris desiderat, negare potuerit. Vid. *Borchol. de Usur. C. 3. n. 18. & seqq.*

CXVI.

de causis
usuras dis-
solventi-
bus

Tantum de causis usuras producentibus: sequuntur nunc dissolventes. De quibus hæc generalis regula tenenda. Quibus modis obligatio tollitur, iisdem etiam usuræ deberi desinunt.

CXVII.

Dubio idcirco caret, si debitum solutum, si accepto latum, si verè novatum, aut alio modo ipso jure extinctum sit, usuras quoq; esse extinctas *arg. l. cum principalis 178. de Reg. Jur.*

CXVIII.

Sed etsi debitor non ipso jure, sed per exceptionem saltem tutus est, veluti compensationis *l. 11. & l. 12. ff. jun. l. 4. C. de Compensat. præscriptionis l. eos 16. pr. C. h. rei judicatz l. ult. C. de usur. rei jud. liberatus quoq; est ab usurarum præstatione dd. ll.*

CXIX.

Et à futurarum omnimodò, excepto casu, quo per sententiam principali obligatione sublatâ, centesimæ post tempora legitima de novo deberi incipiunt *l. ult. C. de Usur. re: judic.*

CXX.

Circa præteritas verò causæ accuratè distinguendæ: Si enim ex conventionem debeantur, utcunq; principali obligatione sublatâ, nihilominus præteritæ rectè petuntur, cum ex separata obligatione debeantur, ex quâ semel nata actio invito creditorî auferri non potest.

CXXI.

Sin vero ex mora: quoniam hoc casu puræ saltem sunt accessiones, atq; actione contractus exiguntur, & officio Judicis super iisdem cognoscitur; si illæ non petitæ, aut petitæ quidem, à Judice tamen per sententiam, quæ in rem judicatam transijt, adjudicatæ non fuerint, propter usuras ultra experiri non licebit. Cum, postquam judicatum, officium Judicis extinctum sit, *l. Judex 55. ff. de re judic.*

CXXII.

Quapropter actori exceptio rei judicatz obstabit. Id quod
rescri-

rescripto Gordiani, quod extat in l. 4. C. deposit. eleganter probatur: si deposita, inquit Gordianus, pecuniâ is, qui eam suscepit, usus est, non dubium est, etiam usuras debere præstare: Sed si, cum depositi actione expertus es, tantummodò sortis facta condemnatio est, ultra non potes propter usuras experiri. Non enim duæ sunt actiones, alia sortis, alia usurarum, sed una: ex qua condemnatione facta, iterata actio exceptione rei judicata repellitur. *add. l. in bone fidei 13. C. h. t. Donel. de Usur. c. 5.*

CXXIII.

Præscriptione quoq; 30. aut 40. ann. fortis, & actionis principalis, usuræ non solum futuræ sed etiam præteritæ: & hæc, ut probabiliter videtur, sine distinctione causarum, ex quibus forte petuntur, extinguuntur.

CXXIII.

Ita namq; Justinianus in l. eos. 26. pr. C. h. (cujus verba "adscribere operæ duximus fore precium, cum aliud quoq; præterea in ea contineatur) Eos, inquit, qui principali actione per exceptionem XXX, vel XXXX annorum, sive personali, sive hypothecariâ ceciderunt, jubemus non posse super usuris, vel fructibus præteriti temporis aliam movere quæstionem, dicendo, ex hisdem temporibus eas velle sibi persolvi, quæ non ad 30. vel 40. præteritos annos referuntur, afferendo singulis annis earum actiones nasci. principali enim actione nõ subsistente satis supervacaneû est, super usuris, vel fructibus adhuc judicè cognoscere.

CXXV.

Sed quid, si oblatum sit debitum cum usuris, an nudâ illâ oblatione usuræ expirent, an verò obfignatione & depositione congruo loco, & tempore faciendâ præterea opus sit, intricatè sanè à Dd. ventilatur. Nos quæstionem illam ita legibus nostris decisam arbitramur.

CXXVI.

Si usuræ ex conventionem, veluti ex mutuo debeantur, ad usum earum inhibendum, ex rescripto Papiniani in l. 7. ff. h. t. & constitutionib. Imp. Antonini in l. usuras 2. l. si creditrici 6. & Philippi in l. acceptam 19. C. h. t. non tantùm testibus præsentibus debitum principale cum usuris offerendum, sed etiâ, si non suscipiatur,

D

confi.

confignatum præterea in publico loco deponendum esse. Talia
namque pro solutione sunt *dd. ll. & l. 9. C. d. solut.*

CXXVII.

Nisi defuerit, cui possit offerri debitum: tum enim deposti-
tio sine oblatione sufficit *d. l. 6. C. eod.* aut debitor oblatis, confignatis,
& depositis rursus utatur: quia tunc reviviscunt usuræ,
& institutum cursum perficiunt *l. 7. ff. h. l. 19. C. eod.*

CXXVIII.

Idem quoque, si ex mora in re debeantur, observandum
esse, docent nos *textus in l. 1. §. ult. ff. h. t. l. 28. de admin. tur.*

CXXIX.

Sin verò usuræ ex mora in personam, in qua interpella-
tione opus est, præstandæ sint, solam oblationem sine deposti-
tione & obfignatione finire earum cursum, probabiliter inde colligi-
tur, quod sola oblatio causam usurarum, ex qua debentur,
moram videlicet, tollat, uti expressè scriptum in *l. 91. §. 3. de
V. O. jun. Cujac. ad l. 122. §. Sesa. 5. de V. Obl.*

CXXX.

*de altero
tanto*

Tandem definiunt usuræ deberi, si sortem æquaverint: ul-
tra duplum enim usuræ prohibita *l. 26. §. 1. ff. d. cond. indeb. l. pe-
cuniae 9. pr. ff. h. t. l. de usuris 27. §. ult. C. eod.* etiam in trajectitijs
negociationibus *l. nihil interest 4. §. 1. d. nautic. feno.*

CXXXI.

Cessabant autem hæ leges in usuris solutis. Antiquitus
namque usuræ per tempora solutæ non proficiebant reo ad du-
pli computationem, sed solvendæ, seu debitæ duntaxat. *l. us-
uræ 10. C. h. t.*

CXXXII.

Ex quo improbi sceneratores habuerunt, unde immensæ
sux cupiditati consulere. Etenim, cum meliorem conditio-
nem rigidi exactoris, quàm benigni creditoris, deprehenderent,
acerbe, & mature usuras exigebant, quò indefinenter compen-
sando, scæus in infinitum multiplicarent, atque ita dupli com-
pensationem perfacile eluderent.

CXXXIII.

Ideo *Iustinianus* querelâ ad se hac de re delatâ *d. l. usuræ 10.*
abrogando sanxit, ut omnes usuræ per partes etiam solutæ coa-

CCIVa-

servarentur, & in duplum computarentur. *Nov. 121. 138. & 169.*
Quibus hodiernâ consuetudine multum derogatum.

CXXXIV.

Cessabant etiam supra dictæ leges, quando creditorî pro
usuris pignora data fuerant (quod quibus modis fiebat, *thes. 97.*
diximus.) Creditor namq; pignus habens (verbâ sunt *Molin.*
hic n. 46.) penes se videtur potentialiter, & virtualiter habere,
& quasi sibi ipsi solvere, & percipere omnes quantascunq; cur-
rentes usuras, usq; ad valorê pignoris. Et sic civili quadâ fictione
dici poterat, quod omnes prætentæ usuræ usq; ad concurrentiam
valoris pignorum à creditore possessorum censerentur perce-
ptæ, vel solutæ, & consequenter non deberent computari in du-
plo, per *d. l. usuræ 10. C. h.* Hactenus ille.

CXXXV.

Verùm *Iustinian.* hoc quoq; tanquam inhumânium, & durum,
emendavit, & vetuit duplum excedi, etiam si pro debito pigno-
ra creditorî constituta sint, *d. l. de usuris 27. S. ult. C. h. t.* Vide
Hotom. disp. de usur. C. 10.

CXXXVI.


Postquam usurarum naturam, & causas, ex quibus, tum de-
bentur, tum deberi desinunt, breviter exposuimus, non abs-
re quidem foret, ut quædam adijcerentur de ardua illa, & in-
tricata quæstione: *An, & quo jure usuræ licitæ, aut prohibitæ
sint?* Sed, cum tam apud Theologos, quàm JCros sufficienter
hactenus discussa sit, cumq; nostri instituti ratio, & tempus fi-
nem exigant; ideo multa de ea verba facere supersedebimus.

CXXXVII.

Ut tamen quam brevissimè nostram hac de re opinionem
explicemus: usuras nec jure divino, nec naturali omnino, mul-
to minus Jure Civili, uti ex dictis patet, prohibitas, & illi-
citas esse, concludimus. Tantum.

*Inter alia errata typographica, hæc quoq; deprehendimus, th. 19. l. 2.
deleatur, pecuniaria, th. 46. l. ult. pro parce legatur parte, in th. 49. lin.
2. ita ponatur recensentur, usuræ, th. 50. lin. ult. solvatur. sortem th. 78.
lin. 9. pro etiam pon. etiam, th. 81. lin. pro pena leg. penæ. Cætera æquis
lector facile corriger.*

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be a formal document or letter.



cervarentur, & in duplum con
Quibus hodiernâ consuetudin

CXX

Cessabant etiam supra di
usuris pignora data fuerant (qu
diximus,) Creditor namq; pig
hic n. 46.) penes se videtur pote
& quasi sibi ipsi solvere, & perc
rentes usuras, usq; ad valoré pig
dici poterat, quod omnes præte
valoris pignorum à creditore
præ, vel solutæ, & consequente
plo, per d. l. usura 10. C. h. Haç

CXX

Verùm *Iustinian.* hoc quoq;
emendavit, & vetuit duplum e
ra creditori constituta sint, d. l.
Motom. disp. de usur. C. 10.

CXX

Postquam usurarum natura
bentur, tum deberi desinunt, h
re quidem foret, ut quædam
tricata quæstione: *An, & qu*
sint? Sed, cum tam apud The
hactenus discussa sit, cumque na
nem exigant; idèd multa de ea

CXX

Ut tamen quam brevissim
explicemus: usuras nec jure di
to minus Jure Civili, uti ex
citas esse, conclu

Inter alia errata typographica, l
deleatur, pecuniaria, th. 46 l. ult. p
2. ita ponatur recensentur, usura, th
lin. 9 pro etiam pon. etiam, th. 87.
lector facile corriget.

Nov. 121. 138. & 169.
rogatum.

ndo creditori pro
dis fiebat, thes. 93.
(verbâ sunt *Molin.*
virtualiter habere,
quantascunq; cur
vili quadâ fictione
ad concurrentiam
enferentur perce
t computari in du

manum, & durum,
pro debito pigno
S. ult. C. h. t. Vide

ex quibus, tum de
imius, non abs
de ardua illa, & in
cita, aut prohibita
Ictos sufficienter
ratio, & tempus fir
superfedebimus.

de re opinionem
rali omnino, mul
prohibitas, & illi
am.

pendimus, th. 19. l. 2.
parte, in th. 49. lin.
vatur. Sortem th. 78.
pana. Cætera equus

